
J. P. Resen

de Agapis Diss.


Hafn., 1600.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°

2, - 292

LN 1390
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°

AGAPAE, QVARVM MENTIONEM FACIT B. JUDAS IN EPIST. ℣. 12.

DE QVIBVS
DEO Opt. Max. propitio, die XXV.
Junii erit Diſputatio I.

IOH. PAVL. RESENII.

Reſpondente
MATTH. FRANC. BRUNO.

1120

HAFNIÆ,
Ex officina Typographica Henrici Waldkirchii, Anno cIɔ Iɔ C.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°

DE AGAPIS.

I.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus, in teſtimonium firmiſsimum ſummæ charitatis erga omnes ſuos diſcipulos, in cæna ultima poſt agnum Paſchalem, quem mactarant & comederant, ſecundum ea quæ præcepta erant divinitùs, inſtituit accumbendo convivium myſticum unionis ſuæ arctiſsimæ ſeu concorporationis ſolidiſsimæ cum Eccleſia: ac in eo adhibuit potiſsimum panem & calicem, etiam ſecundum ritum, vt videtur, religioſorum Judæorum: qui in feſtorum ſolennitatibus celebrioribus, per familias inſtituerant ſibi ſacra convivia, cum ſumma frugalitate & inſigni reverentia.

II.

Traditur enim à Rabbinis in סֵפֶר בְּרָכוֹת: Codice benedictionum, in Thalmud initio, ac repetitum id eſt à Pavl. Ricio cœleſtis Agriculturæ L. 3. in fine: Anthonio Margarita de univerſa fide Judæorum: Pavl. Burgenſi in addit. ad Lyran. ad Pſal. 112. Fagio in precationibus: Bucero in Matth. Caſſand. de Liturgia, & aliis: Id quod etjam citat Munſterus in Matthæum ex סֵפֶר הֲלָכוֹת id eſt, libro rituum ſev conſvetudinum, & Ar. Montanus in eundem ex סְדָרוֹת Iſraelitarum, & ex Miſnajoth. quod Paterfamilias poſt eſum agni inprimis, antiqviſsima Patrum conſvetudine, introducta ex loco Devter. 8. ℣. 10. Præmiſſo communi poculo, quo priora concluderet, eodemque poſt preces deguſtato ſev libato ab omnibus, panem azymum caput Cœnæ ſequentis, cum ſolenni benedictionis formula, fractũ ſingulis diſtribuerit: quodq;
idem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°

idem illé, peracta tandam Cœna frugali, rurſus poculo communi cum benedictione, gratiarum actione & precibus pro futuro adventu Meſsiæ, cum aliis neceſſariis, ordine propinato ac libato, clavſerit convivium.

III.

Illam conſvetudinem Chriſtus imitatus videtur maximè ſecundum ea quæ diſtinctè à Luca deſcripta ſunt, cap. 22. ℣. 17. 19. 20. ſed ita tamen, vt in hoc ſacratiſsimo ipſius convivio, omnia iſta ab ipſo ſingulari ac novo modo, imò mirificiſsimo, facta ſint myſteriis pleniſsima, maximè tremenda, diviniſsima.

IIII.

Hæc ergò ſunt quæ ad textum Evangelicum non malè congruunt: quanquam rem iſtam aliter paullò intelligat Scaliger de Emendat. temporum lib. 6. Sicut & tale quiddam, quod cum ipſo facit, repetit Beza in Lucam, ex Tremellio & volumine rituum qui כָּל־בּו inſcriptus eſt. Ubi tamen ſuperſtitionis & fraudis Judaicæ aliqua ſuſpicio ſubeſſe poteſt, ac ejus inprimis, cujus mentionem facit P. Ricius, quum loquitur de R. Iſmaële & Eliazar Kalir ac ipſorum κακοτεχνίας Magica in placenta azyma dicta פְּתִיחַת הַלֵּב In Iſagoge in Cabalam concluſ. 22. et de cœleſti agricultura. L. 4. qualis propemodum ſuſpicio Calvini in Harmonia Evangel. vide ſimilem fermè fravdem Satanicam, in placenta Cuſcana & idolo paniceo Mexicano: in iis quæ refert J. Boter. Benenſis de univer. part. IV. L. 1. cap. ultimo.

V.

Qvum ergò juſsiſſet Dominus iſta fieri à ſuis quotieſcunq; ita convivandi daretur occaſio, in ſui commemorationem religioſiſsimam: Apoſtoli primùm illud ſæ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°

pê imitati ſunt, tùm inter ſe, tùm cum aliis unà, qui ad Chriſtum converſi ſunt.

VI.

Atq; hinc Eccleſiæ conſtitutæ ab ipſis, ſervarunt eandem conſvetudinem ita cænandi devotiſsimè & quidem in publicis conventibus: quod patet manifeſtè ex Pavl. 1. Corinth. 11. Quanquam & ſtatim abuſus acceſſerit: ut videre eſt 1. Corin. 10. 2. Pet. 2. & in loco præſenti Judæ ℣. 12. cujus illud proprium eſt, quod convivia iſtiuſmodi AGAPAS, dicta perhibeat ab Eccleſia ſui ſeculi: nam de loco Petri & ejus lectione dubitatur ab aliquibus.

VII.

Omnis qvidem honeſtī convivii finis, debet eſſe charitas, & amicitia inter bonos concilianda & confirmanda: neque enim boni viri ipſorum conviviorum delectationem corporis voluptatibus magis, quàm cœtu amicorum & ſermonibus metiuntur: unde majores accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, nominarunt convivium: de qua re videantur plura in Clemente Alex. Pædagog. L. 2. c. 7. Athenæo, Plurarcho Euſtathio & aliis: ſed qvum veram vitam omnium unicè contineat & conjungat hæc divina ſodalitas, ac omnes omnium bonorum charitates hac unica cæna Dominica complexa ſit: illa convivium, illa AGAPE meritiſsimò dicenda eſt.

VIII.

Hinc illud eſt, quod refert noſter Hemmingius b. m. ad 2. Petr. 2. & ad locum præſentem, qvum inquit: Vocabantur avtem & ea fraterna convivia, quæ in primitiva Eccleſia ſtatim à temporibus Apoſtolorum inſtituta, Eccleſiaſtico cœtui apparata fuêre, & ea quæ pavperibus refocillandis exhibebātur AGapæ, i.e. charitates, propter charitatem, qva ſe mutuò complectebantur Chriſtiani

convi-

convivantes, &c. Et laudat Eraſmus Favſtum, qui utitur in hunc ſenſum hoc verbo L. 20. c. 4. quo modo repetitur etiam locis aliqvot in decretis.

IX.

Veriſimile eſt, quod vel prius â Judæis dictum fuerit, ejuſmodi ipſorum ſolenne convivium, אֲהָבָה ſev חובא lingva Syrica tunc uſitatiore, id eſt AGAPE, & convivæ ſev σύσσιτοι חֲבִיבִין ἀγαπητοὶ: quod nomen unà tranſierit etiam ad Chriſtianos: vel potius quod id primum dici cœptum ſit, ex illa admirabili charitate ac concordia animorum, in credentibus, quæ deſcribitur Act. 2. ℣. 42. 44. 45. 46. 47. & cap. 4. ℣. 32. in qua animadverterunt Apoſtoli apertè effectum charitatis Chriſti, in membris tenellis, de qua prius dictum eſt (leg. Cyp. tract. 3. de ſimpli. prælat. & ſerm. 1. de Eleemoſ. utrubiq; in fine) ut inde etiam Chriſtiani ſæpè in ſcriptis Apoſtolicis vocētur ἀγαπητοὶ: ex qvo fortaſſe aliquid addi poterit ad differentiam eam, qvam ſtatuit Hier. inter ἀγαπητοὺς & ἠγαπημένους in com. Epiſtolæ ad Philemonem. vide heic præterea בַּדְרִ ſev Badri Æthiopum id eſt, ἀγάπην apud Scal. emendat. tempor. L. 7.

X.

Dubium eſſe non poteſt, qvin antiquiſsima libandi conſvetudo priſcis gentilibus in uſu fuerit, exemplo Patrum & iſto Judæorum, de quo prius diximus: non tantum in ipſorum ſacrificiis idolatricis, ſed etiam in ipſis conviviis: in quibus calices ſimul & epulas Diis libare conſveverunt, & benè precari convivantibus: unde uſus tandem obtinuit, ut omne epulum quaſi ſacrum haberetur: & ipſa etiam menſa φίλην τράπεζαν Pin. i e φιλοποιὸς in ἐξηγήσει inter res ſacras accenſeretur: ad quod eò adducebantur facilius, quantò quam divina res eſſet charitas, attentius & diligentius conſiderarent atque expenderent.

 Hinc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°

XI.

Hinc apud Indos commune proponebatur poculum Gymnoſophiſtarum deguſtandum quotidiè, & apud eoſdem ara poſita in medio accubantium, ex qua quiſque convivarum ſurgens ex ſede ſua, ſibi partem caperet, ad refectionem frugaliſsimam.

XII.

Hinc derivata ſunt Titthenidia Perſarum: hinc ἀνδρεῖα Cretenſium: hinc φειδίτια Spartanorum inſtituta primùm â Lycurgo (quorum etiam παρετυμολογία eſt apud Plutarch. παρὰ τῆς φιλίας μετα-θέσις τοιχεῖον &c.) hinc Συσσιτίαι Athenienſium: in quibus tenuiores cum ditiorrbus unà conveniebant, & æqvalem obſoniorum portionem ferebant: hinc etiam ſodalitates Romanorum deductæ videntur: ad fovendam in ſocietatibus hominum tantò majorem charitatem & amicitiam.

XIII.

Verùm hæc diviniſsima Συσσιτία, hæc concœnatio Chriſtianorum, omnia tanto habet majora, qvanto major is, qui eam inſtituit: qvanto quæ apponuntur majora: qvanto major charitas Dei atque hominum, hominumq; inter ipſos, obſignetur in ea, myſterio arcano, ineffabili, imò etiam inperſcrutabili.

XIV.

Refert Plutarchus in Cicerone & Publicola, conjurantes olim Romanos hominem trucidaſſe, omneſque ſimul horrendo adactos juramento, libaſſe ſangvinem & guſtaviſſe exta ejuſmodi: quo intelligeretur atque adeò eſſet obligatio, ad mutuam fidem & charitatem maxima, ac conjunctio ſev conſpiratio omnium omninò arctiſſima.

XV.

Crudelis illa quidem immanitas, imò verò fera inhumanitas

humanitas: verùm & heic, modo tamen diuerſiſsimo, qvum ad horrendum poculum accedis, tanquam ab ipſo dominico latere bibiturus accedas: qvemadmodum graviſsimè dixit Gregorius Nyſſenus, in delectis teſtim. contra Judæos paragr. 24. repetens illa ex divino oratore Chryſoſtomo in 19. Johan. hom. 84. nempè propter formidandam pænam, quam minatur Paulus indignè accedentibus, ut eſt quoque in eodem in cap. 6. ejuſdem, hom. 45. aliàs enim Thyeſtæa, Capernaitica & craſſa omnia ab hiſce ſummis myſteriis longè ſunt remotiſsima.

XVI.

Ad obligationem avtem & conjurationem quod attinet, contra carnem, mundum, Diabolum, omnia heic cum Imperatore Chriſto arctiora multò contingunt: cujus corporis membra ſunt σύσσωμοι fideles, ſodales Chriſtiani: os ex oſsibus ejus ac caro ex carne eius: imò etiam divinæ naturæ participes, qvemadmodum à Petro profundiſsimè dictum eſt, & explicatum á Damaſceno Orthod. fid. L. 4. cap. 14. & aliis: Unum inter ſe cum ipſo & Patre unà, unione veriſsima, arctiſsima, diviniſsima: quæ omnes omnium omninò charitates maximè continet, in ſolo illo vno, qui cuncta continet unitiſsimè: atque ita tabulas de dolo malo, quas nonnulli everriculum malorum appellarunt, ſolus Chriſtus rogavit & obſignavit. vid. Hilar. de trin. L. 8. & Cyrill. in Johan. 6. & 15.

XVII.

Quotquot igitur ex Judæis crediderant Evangelio, receperunt libenter cœnas atque agapas ejuſmodi: qvotquot etiam ex gentibus convertebantur ad Chriſtum admiſerunt eaſdem haud gravatim: ad hoc quaſi ita præparati prius providentia Dei ſingulari: (ſicut etiam per alia non pauca, quibus illis patuit aditus, ad adyta arcanorum cœleſtium: de quibus Euſebius, quindecim

libris

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°

libris σχινδαρκα. εὐαγγελ.) per accubationes ejuſmodi epulares, charitatis cavſa, qvemadmodum dictum eſt.

XVIII.

Videmus tamen interea, qvám Satanas, perpetuus hoſtis generis humani, ac Eccleſiæ & charitatis Chriſtianæ, in ea potiſsimum ſtatim ab initio fermê illius μυσταγωγίας abuſum introduxerit in convivia ejuſmodi: deinde ea mutarit magis magisque, ut res ipſa tandem cum hiſtoria unà propemodum interciderit: ut non ſine inſigni labore ex ruinis & ruderibus, quaſi quædam ſanctæ antiquitatis monumenta, erui ac diſcerni poſsint.

XIX.

Hæc cavſa eſt, quare altius ſint repetenda omnia de illa conſvetudine, quæ difficiles explicatus habent, & comportanda undique ex diverſis locis tùm ſcripturæ Apoſtolicæ tùm Patrum & antiquitatis Eccleſiæ, quæ ad AGAPARVM non dico enarrationem, quæ vix juſta haberi poteſt, ſed indicium qualecunque, unicè faciunt: ex quibus etiam conjecturam interdum nos facere oportet, ſed non ſine viſa ac oblata occaſione & rationibus convenientiſsimis.

XX.

Qvum ergò Chriſtus in diverſorio, in quo commorabatur Hieruſolymis, inſtitueret cœnam ultimam, adhibito potiſsimum præter cætera, pane azymo ratione temporis, ac vino iſtius loci potu familiari, maximorum arcanorum ſymbolis, ſecundum conſvetudinem indicatam ſuperius, (ut nihil dicam de figura antecedente in pane & vino Melchiſedechi, quam heic tamen laudat etiam Epiphanius L. 2. hereſ. 55.) licet non vocarit illam quidem AGAPEN: tamen ea ſuis præbuit charitatis argumenta ac myſteria, quæ mens humana poterat capere,

maxima

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°

maxima: qvemadmodum id â Iohanne & Pavlo inprimis explicatum eſt.

XXI.

Diſcipuli avtem idipſum, ſine dubio, de ipſius mandato diligenter imitati ſunt, qvantum primum per dolorem & alia impedimenta facere poterant, & poſt perpetuò non ſolùm recurrentibus diebus paſchalibus, ut videtur, per panem azymum: ſed aliis qvoq; per alium communem: unà cum poculo ejuſmodi in ædibus etiam privatis: in quibus ita cœnandi occaſio, commoda eſſe poterat.

XXII.

Et hinc qvidem nonnulli, ea qvæ dicuntur de fractione panis Actor. 2. ℣. 42. 46. in κοινωνίᾳ, unà cum aliis converſis Judæis, accipiunt de ſacra cœna εὐχαριστίας, cum Syro interprete: qvæ cum conviviis ejuſmodi ita ſolebant conjungi: ubi Theophylactus & Oecumenius οἶκον τὸ ἱερὸν, id eſt, templum, intelligunt: in illo enim, inquiunt, comedebant panem ſev cibum tenuem frugaliſsimè, loci etiam religione admoniti, ad tantò majorem devotionem & unicæ pietatis ſtudium: qvæ ſumma eſt longioris ἐξηγήσεως.

XXIII.

Eodem referri videtur maximè, qvod dicitur Act. 20. ℣. 7. 11. de συνάξει diſcipulorum Troade, uno Sabbatorum, cum Pavlo unà, ad frangendum panem, in ſuperiore qvodam cœnaculo: ubi præmiſſa dicitur prolixior Pavli concio ſeu oratio, ante guſtum ſev libationem ejuſmodi, nocte intempeſtâ: atq; ibidem expreſſa mentio eſt εὐχαριστίας, à Syro interprete.

XXIV.

Hinc jam conjicere non eſt difficile, qvalis ratio fuerit ſacrorum cœtuum, in iſta prima Eccleſia: nempe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°

qvod primum habitæ fuerint ſacræ orationes, ex verbo Dei: ſecuta deinde κοινωνία ſev AGAPE, ac demum conceptis precibus ardentiſsimis, cœtus dimiſſus ſit: Id enim tum ex loco proximo, tum priore illo, Act. 2. ℣. 42. eſt maniſeſtiſsimum.

XXV.

Id igitur, omni procul dubio, ſervarunt Apoſtoli, ubicunqve jam eſſet aliqva collecta Eccleſia: tum primum ex Judæis, in eorum ſynagogis, ut videtur maximè: tum deinde etiam ex gentibus, in locis deſtinatis ejuſmodi concionibus & conventibus, cavſa pietatis, qvæ erant inſtar templorum: & ita qvidem, ut in ejuſmodi convivijs, præeſſent ipſi Apoſtoli, exemplo Chriſti primi antiſtitis, omnibus ex eadem menſa ſev pane & calice ſev poculo participantibus: qvod patet ex 1. Corinth. 10. ℣. 16. 17. 21. recitantes ſimul orationem Dominicam, qvemadmodum ex antiqvitate Eccleſiaſtica retulit Hieron. L. 3. contra Pelag. & inde Gregor. L. 8. Epiſt. 7. & durand. Ceremoniarum, L. 4.

XXVI.

Inde factum eſt, ut latè diſſeminaretur ratio ita cœnandi, inter eos univerſos, qvi receperant Evangelium: adeò ut Apoſtoli, qvum ex aliqvo loco diſcederent, χειτουργίαν ejuſmodi commendarint præsbyteris & potioribus: qvi omnia facerent ſecundum ea, qvæ erant accepta ab ipſo Domino, de pane nimirum cœnæ capite, ac poculo qvo poſt concænationem clavdebatur convivium τῆς ἀγάπης: qvemadmodum ſcriptum eſt 1. Cor. 11. ℣. 23. 24. 25. &c.

XXVII.

Neq; enim dubium eſſe poteſt, qvin cœna illa, cujus mentio tum loco citato facta eſt, tum capite proximo, menſas eas reſpiciat in eccleſiis: qvas illo tempore vocarunt AGAPas, ut annotavit Oec. ad Judæ ℣. 12. nam ipſis celebrioribus ſev feſtis diebus, ſecundum perceptionem ſanctorum myſteriorum, fiebant cœnæ communes: qvod

er-

eas præpararent divites & convocarent pavperes: id erat
avtem, qvod præbuit occaſionem charitatis & humil ita-
tis, qvemadmodum ab eodem adſcriptum eſt ad 1. Corin.
11. verſ. 18. &c.

XXVIII.

Verùm cum heic, aſtutia Satanica, abuſus ſtatim ir-
reperet in Eccleſiam Dei, ut diximus ſuperius: cum corre-
xerũt diligentiſsimè tum cæteri Apoſtoli, apud qvos con-
verſabantur potiſsimum, tum paulus inprimis apud ſuos
Corinthios, atq; ea ordinarunt, qvæ in convivijs ejuſmo-
di ad εὐσχημοσύνην καὶ τάξιν maximè facere poterant: qvod
Pavl. ſe facturum pollicitus eſt 1. Cor. 11. v. 34. ac propte-
rea etiam poſt exſecutus eſt.

XXIX.

Putant nonnulli, qvod AGapæ fraternitatis colendæ
cavſa, ab Apoſtolis inſtitutæ (ad imitationem Chriſti) &
diligenter, maximoq; cum fructu obſervatæ, qvũ iis abuti
Corinthii cępiſſent, avtore Pavlo ibi deſierint; aliis eccle-
ſiis non ſtatim, ſed ſenſim, & prout res tulit, Corinthiorũ
exemplum ſecutis: verùm id textus Pavli non reqvirit,
atq; aliud evincunt teſtimonia Patrum & antiqvioris Ec-
cleſiæ.

XXX.

Pavlus n. minimè omnium ſuſtulit δεῖπνον κυριακὸν & ſa-
crã agaparum κοινωνίαν, qvam poſt commendat ipſis ſeve-
riſsimè, & prorſus ad exemplũ Chriſti, ac primæ cœnæ v.
23. 24. 25: verùm illa avferri voluit qvæ impedirent, qvo
minus eſſet cœna Dominica & κοινωνία: nempè ne habere-
tur tanquam prophana & domeſtica ſev privata cœna:
ne in ea præterirent pavperes, ipſiq; adeo luxuriarent:
qvod manifeſtum eſt ex verſ. 20. 21.

XXXI.

Qvapropter ſi qvi cogitarent tantũ de prophano con-
vivio, neq; vellẽt attẽdere qvaſi domin⁹ accubaret unà, et
ſe cõponere ad imitationẽ iſtius religioſi tremoris, qvi fuit

qvando

qvando dominus ipſe comedebat cum diſcipulis, ac menſas non communes, ſed contemtis pavperibus privatas ſternerent: qvemadmodum ea pluribus exponuntur, ab Oecumenio, Theodoreto, Photio & aliis: eos qvidem Apoſtolus voluit domi potius ita comedere, qvàm in Eccleſia Dei: qvemadmodum dicitur ℣. 22. Ταύτης δὲ φημι ὅτι βέλτιον ὑμᾶς οἴκοι σιτεῖσθαι: inqvit Oecumenius.

XXXII.

Rejecit igitur hæreſes, τὰς περὶ τῶν τραπεζῶν, ut inqvit ille: menſas non ejecit: imò menſam dominicam commendavit illis cap. 10. ℣. 21. & heic lavdavit maximè ea omnia qvæ à domino acceperat: ipſum nimirum τὸ δειπνῆσαι cum præcedente pane & ſeqvente calice, &c verſ. 23. 24. 25. qvorum tamen potiſsimum rationem haberi voluit verſ. 26. 27. 28. &c. ac tandem relicta ipſis recepta conſvetudine conveniendi εἰς τὸ φαγεῖν ſev ad epulandum, dum præter alia, alios tenuiores exciperent (ἦσαν γὰρ σύνοδος inqvit Oecume. ἀγάπην ἐνδείκνυντες ὃ περιχέεται: ὡς κοινῶν ὄντων ἐκεῖσε εἰσφερομένων ἐδεσμάτων, ut qvi id non faceret, indignus haberetur, τῆς μυστικῆς μεταλήψεως) de cæteris tum in illo negocio, tum aliis neceſſariis, per occaſionem, ipſis ſuam pollicetur διαταγήν.

XXXIII.

Qvocirca Pavlus, memor promiſsi poſtmodum ordinavit illa, ſine omni dubio, qvibus deinceps aliqvandiu religiosè uſa eſt Eccleſia, ac inprimis qvidem, ut eſſet illis etiam ἡ ἀγάπη ἐκδοχὴ ſev δοχὴ τῶν πενήτων καὶ πτωχῶν: qvemadmodum generaliter præceperat qvidem Chriſtus Luc. 14 verſ. 13. ſed ſingulari qvodam modo monſtrarat ἐν τῇ ἐσχάτῃ μυσταγωγίᾳ: ad qvam omnes invitarat, atqve adeo ipſum traditorem etiam, hominem inimicum omniumqve peſſimum; plura videantur in Photio in Oecumenio, & in Theoph. qvum inqvit; tremendus hic calix cunctis pari ratione traditus eſt.

Atqve

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°

XXXIV.

Atqve dum heic obiter conſulimus antiqvitatem, Eccleſiaſticam, ejuſdem fermè διατάξεως fuiſſe videtur, qvod à primis Chriſtianis communiter in hoc diviniſsimo negotio obſervatum eſt: neqve dubium eſſe poteſt, qvin illa etiam fuerint ejuſdem generis, qvæ aliis ordinarunt reliqvi, inſtinctu Spiritus ſancti: ſive Petrus Antiochenis & Romanis, ſive Jacobus Hieruſolymitanis, ſive Marcus Alexandrinis: ut ex prima & antiqviſsima iſta ſimplicitate ſatis pateat, qvàm minus ſolida ſint, qvæ jam ſub ipſorum nominibus nonnulli conantur obtrudere Eccleſiæ: ut nihil dicam de λειτουργία Baſilii & Chryſoſtomi, qvorum ætate aſſcita fuiſſe nonnulla, fortaſſe denegari non poterit: ſicut & deinceps plura alia, ab aliis addita ſunt.

XXXV.

Et qvanqvam hæc jam ita eſſent emendata graviſſimè: diu tamen non ceſſavit abuſus, neqve temporibus Apoſtolorum: qvin ditiores (ut aliàs, ita etiam heic) delicias qværerent & laſcivirent nimium, ac enutrirent corda ſua non ſecus ac ſi eſſet aliud qvoddam epulum delicatiſsimum: qvemadmodum de eo conqveritur Iacobus ad diſperſos Judæos cap. 5. verſ. 5.

XXXVI.

Conqveritur de eodem Petrus Apoſtolus, ad ſuos Ponticos 2. Epiſt. c. 2. verſ. 13. ex qvibus nonnulli voluptatem reputarunt, qvam diurnam viverent delicatam vitam: maculæ & probra, qvi delicias faciebant in deceptionibus ſuis, ἐν ἀπάταις, &c. (vetus vertit ἐν ἀγάπαις, &c, in agapis: unde ſuſpicio injecta qvoq; Eraſmo & Camerar.) dum (etiam) epulabantur cum cæteris Chriſtianis verè fidelibus: ubi addit qvoq; Oecum. ὁ δὲ ἀγάπην καὶ τὸ μεταλαμβάνειν ἄλλων συνκοινωνηθέντων: id qvod comprobat poſt etiã, ad Jud. Epiſt.

XXXVII.

Deplorat eandem contaminationem, ipſe Judas maximè ℣. 12. qvod ſuo ſeculo eſſent in agapis Eccleſiæ, ſcopuli (ita enim σπιλάδες modo uſitato intelliguntur & exponuntur ab Oecumen.) qvi ſimul epulabantur cum illis, ſine timore religioſo, de qvo meminimus ſuperius: tanqvam verſarentur tantùm in prophano convivio, ſeipſos paſcentes luxurioſè, non pavperes Chriſti: id qvod in gloſſa interlineari, ut vocant, ab Anshelmo Lavdunenſi, rectè additum eſt.

XXXVIII.

Qvum igitur ſumptio Evchariſtiæ religioſiſsima, conjuncta fuerit cum agapis & κοινωνίαις ejuſmodi, in prima Eccleſia: ad eas non admittebantur, niſi ſoli Chriſtiani, qvi qvid ageretur, rectê poſſent internoſcere: ut patet 1. Corinth. 10. verſ. 16. 17. 21. & 11. verſ. 26. 27. 28. 29. (& ex Juſtino in apol. 2. pro Chriſtianis) tum ſi qvi ex illis contaminarentur nefario ſcelere, ejiciebantur communibus ſuffragiis ex ejuſmodi ſacro convictu ac cœtu deniqve: ut 1. Corinth. 5. verſ. 2. 3. 5. 7. 11. 13. & Matth. 18. verſ. 17. qvæ ejectio in Latina Eccleſia excommunicatio propterea dicta eſt: tum id etiam intelligendum de manifeſtis hæreticis, ut videre eſt Tit. 3. verſ. 10. & 2. Johan. 10. ac 12.

Atq; hæc qvidem ſumma eſt eorum, qvæ de agapis elici poſſunt potiſsimum ex ſcriptis Apoſtolicis.

Deus clementiſsimus, miſereatur noſtri, & benedicat nobis, propter nomen ſuum ſanctiſsimum. Amen.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1390 4°